





21  
LEGES MOSIS MORALES PRAESTANTIORES ESSE LEGIBVS LYCVRGIT ET SOLONIS.

178

*DISPVVTATIO HISTORICO THEOLOGICA*

QVAM  
PRAE S I D E

**FRANCISCO VOLKMAR  
REINHARD**

THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROF. PVBL.  
ORD. AEDI ARCIS ET ACADEMIAE PRAEPOSITO CONSIST.  
ELECT. ASSESS. ET PHILOS. PROF. EXTRAORD.

AD DIEM XXIII. SEPT. A. R. S. C<sup>10</sup>I<sup>0</sup>CCLXXXVIII.

EX NVMERO EORVM

QVI PRIVATIM SCRIBENDO AC DISSERENDO SE  
EXERCENT

H. L. Q. C. C.  
PVBLICE DEFENDET

AVCTOR

**IOANNES GOTTLLOB ERDMANN**

AA. M. ET REV. MIN. CAND.

WITTENBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIUS.



V I R O

PRAENOBILISSIMO AMPLISSIMO  
IVRIS PERITISSIMO

A V G V S T O   G O D O F R E D O  
C L A V S N I T Z E R O

P R A E T O R X

V R B I S   D R E S D A E  
S P E C T A T I S S I M O

A V V N C V L O   E T   P A T R O N O   D E V E N E R A N D O


H O C   P I E T A T I S   M O N I M E N T U M

C O N S E C R A T


A V C T O R .

VIRGO  
TRANSGRESSIMO APPARENS  
VIRTUTIS PARVITATISIMO  
AGASTO CODOREDO  
CIVANZIUS  
EXCELSOR  
VIRTUTIS DEDICAVO  
SPERATATISIMO  
VANEGATO ET LATRONO DELINQUENDO  
HOC HIRATIS MONIMENTUM  
CONSERVATA

1000 f.



LEGES MOSIS MORALES PRAESTANTIORES  
ESSE LEGIBVS LYCVRGJ ET SOLONIS.



**Q**uemadmodum in tota rerum natura leges quaedam fundamenti loco positae sunt, quibus tanquam fulcro nititur ordo totius mundi, quibus vero sublatis ordo ille pulcherrimus valde turbaretur et summa miscerentur imis: ita etiam in quauis ciuitate paullo cultiore leges constitutae sunt ad ordinem conseruandum ciuiumque salutem procurandam. Quare iam ARISTOTELES *Rhetoricon. I. 4.* recte monuit: *ἐν τοῖς νόμοις ἔστιν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως.* Itaque merito laudius reipublicae sapientes habere legum latores, qui legibus suadendis non tam auctoritatem suam, quam ciuium suorum firmare studeant



dent felicitatem. Etenim quo melioribus et subiectorum indigentiae  
 magis accommodatis legibus est instruta respublica; eo diutius dura-  
 bit eius constitutio, eoque facilius ipsius quoque Dei consilium de feli-  
 citate hominum promouebitur. Inter veteres Graecorum legumlato-  
 res primas tenent partes Lycurgus et Solon, hic Atheniensium ciuis,  
 ille Spartanorum, qui propter leges, quas tulerunt, maxime sunt cele-  
 brati. Neque hoc mirum videri potest, cum eterne et antiquitate et  
 sapientia fuerit clarus. Lycurgus quidem relicta patria et societate  
 regni itinere lustrauit ciuitates, quae tunc sapientia legum et reipubli-  
 cae temperatione celeberrimae erant. Quo factum est, ut veteres phi-  
 losophi rempublicam a Lycurgo constitutam omnium optimam iudica-  
 rent, et POLYBIUS in primis de ea scriberet *Historiar.* VI. 3. p. 16.  
 ed. Ernest. πάτος δια τὰς συνθέσεις τὰς ἀρετὰς καὶ τὰς ιδείτητας τῶν  
 αριστῶν πολιτευμάτων. Athenarum autem respublica, quae olim sedes  
 doctrinae et eloquentiae, nec non schola artium, ingenii ac vitae ele-  
 gantioris visa est, inferior quidem fuit Spartanorum legibus ac felicita-  
 te, quam diu sub Draconis iugo ingemuit; sed eadem postea Solonis  
 legibus aequioribus tanto magis floruit, vt CICERO pro *Rosc. Amer.*  
 c. 25. recte de ea praedicaret: „prudentissima ciuitas Atheniensium,  
 dum ea rerum potita est, fuisse traditur; eius porro ciuitatis sapientissi-  
 mum ciuem Solonem fuisse dicunt eum, qui leges, quibus hodie quo-  
 que vtuntur, scriperit.“ Cuius sapientiam in illustri quasi monumento  
 positam etiam DEMOSTHENES saepe miratur, velut in *orat. aduersus  
 Timocratem*, p. 732. sqq. et alibi, in primis in *Amator.* p. 1416. ed.  
 Reisk. Atque hanc legum Solonis sapientiam externe quoque gentes  
 perspexerunt, easque ad se translatas exemplum esse voluerunt Romani  
 terrarum domini. v. IVSTINIANI *Institutt.* L. I. Tit. 2. §. 10. et  
 HOFFMANNI *histor. juris*, Vol. II. part. I.

Profecto



Projecto negari non potest, in legibus horum duumuirorum  
 nonnullis reperiri summam prudentiam, vt in Solonis illa, qua vetuit,  
 ne mulier, apud quam adulter deprehensus esset, fana publica ingre-  
 deretur, *ίνα μὴ ἀναιρετές τὸν γυναικὸν ἀναπύρην διαφθέσῃ*.  
*v. MEYRSII Themis Attica I. 5.* Idem Solon curiae Areopagitarum  
 praecipit, vt quo se quisque quaestu tueretur, obseruaret et ignauos  
 poena afficeret. *v. PLVTARCHVS in vita Solonis, c. 22. in fin. ed. Reisk,*  
 et *PETITVS in Commentar. ad leges Attic. L. V. Tit. 6. leg. 1.* Ma-  
 xima quoque opus fuit cautione in legibus ferendis. Etenim si per-  
 pendimus, quam effrenes atque audaces fuerint Lacedaemonii atque  
 Athenienses temporibus legum latorum illorum celeberrimorum; fane  
 mirandum est, eos tales populos legibus tam seueris adstringere potu-  
 isse. Reges, qui tunc praerant genti, cui Lycurgus leges tulit, pa-  
 rum valebant ingenio et dexteritate reguandi, ita vt hoc tempore fere  
 nulla regiminis forma esset constituta. Regis arbitrium loco legum  
 erat, et saepe motus, saepe seditiones excitabantur. Eo difficultius  
 fuit, populum, nullis certis legibus adfuetum, in ordinem redigere.  
 Satis constat, quanta diuites valuerint auctoritate, et quam inique tra-  
 clauerint pauperes debitores suos, qui iugo istorum hominum crudelis-  
 simorum succubuisserint, nisi Lycurgus oppressis ciuibus opeim tulisset.  
 Quod cum nulla re melius effici posse putaret, quam bonorum aequa-  
 litate introducenda; elegit hoc remedium, vt iam ad interitum ver-  
 genti reipublicae succurreret. Quantae autem in hac re peragenda  
 superandae fuerint difficultates, et quanta sapientia fuerit adhibenda,  
 quis est, quin intelligat? Atheniensium respublica antequam a Solone  
 legibus saluberrimis sumaretur, eodem laborauit malo, quo respublica  
 Lacedaemoniorum ante Lycurgum. Diuites, penes quos erat summa  
 potestas, pro lubitu cum debitoribus agere poterant. Quid igitur sa-  
 pientius, et ad libertatem oppressis ciuibus restituendam aptius fuit,  
 quam



quam hoc, vt nomina contrafacta tollerentur? Id fecit Solon, vt PLV-TARCHVS refert, et alii, qui vitam eius descriperunt.<sup>a)</sup>

Licet autem leges horum nomothetarum laudem mereantur suam, quippe quae sapientiam prodant non vulgarem; tamen non sunt comparatae, vt omni ex parte perfectae omnisque labis expertes dici possint; imo vero multis laborant vitiis, quod egregie monstrari posse videtur, si cum legibus Mosis moralibus comparentur. Tantum quidem abest, vt leges Mosis omnibus numeris absolutas omnibusque temporibus, locis ac gentibus accommodatas esse censeantur, vt pro ratione illorum temporum illiusque populi, cui latae sunt, idem statuendum esse putem, quod Solon interrogatus, num leges, quas tulisset, essent optimae? permodeste respondit: sunt optimae, quas Athenienses admissuri erant. v. PLVTARCHI *Solon*, c. 15. Moses interdum retinet consuetudinem receptam, licet non optimam, quia mutatio iuris, e diuturna consuetudine nati, est periculosa. Interdum se demittit ad opiniones Israelitarum et concedit nonnulla διὰ τὴν συληγοναρχίαν eorum, vt Iesus ait Matth. XVIII. 8. Multae quoque leges huius tantum populo sunt accommodatae propter coelum, situm terrae, mores patrios &c. v. MICHAELIS *Mosaisches Recht*, Einleit. §. 7. 8. Nihilominus magnum fane discrimen est inter leges Mosis et legum latorum illorum gentilium, quod iam paulo uberiori exponere non inutile videatur. Propositum enim nobis est, ostendere *praefrantiam legum moralium Mosis prae legibus Lycurgi et Solonis.*

Non

<sup>a)</sup> Institutum illud de remissione publicorum priuatorumque debitorum συσάχθειαν appellavit, παρὰ τῇ ἀποτέλεσμα τῷ βαρύν διεῖτω. Hesych. cf. MEYRSI *Solon*, c. 12. ii. PETITVS de legib. Attic. L. V. T. 4. leg. 5.

Non esse superfluum, quod nobis tractandum sumissimus argumentum, et ipsius rei grauitas demonstrat, et virorum doctissimum exemplum probat, qui iam olim operam suam impenderunt collationi legum variis populis latarum. Sic Anton. THYSIVS legum Atticarum et Romanarum<sup>b)</sup> et P. PITHOEVIS IC. Mosaicarum et Romanarum collectionem<sup>c)</sup> nobis reliquerunt. Evidet quid valeant humeri in pertractando tanti ponderis arguento, experiar, lectorum benevolentia fretus, fore, ut nisi pro rei grauitate satis dictum videatur, tamen pro viribus atque industria elaboratum hoc quaecunque specimen aequi bonique consulant.

Antequam vero ad ipsam argumenti tractationem accedo, definiendum est, quaenam leges intelligentur sub legibus moralibus, et fontes indicandi sunt, e quibus in hac causa sit hauriendum. Cum lex in uniuersum sit norma actionum liberarum obligandi vim habens, facile intelligitur, legem quamque sua natura esse moralem, h. e. ad regendas hominum actiones, eorumque voluntatem inclinandam pertinere. Sunt autem, ut satis constat, hominum actiones bonae et rectae duplicitis generis. Aliae cum felicitate publica et externa ita sunt coniunctae, ut vel omitti, vel alio modo peragi, salua republica, non possint. Aliae sunt quidem a publica salute remotiores, sed ita comparatae, ut priuata felicitas et interna animi ad honesta quaevis conformatio sine iis nulla sit. Primum genus propositum est, ac esse debet legumlatoribus ciuitatum, a quibus omnia referenda sunt ad salutem publicam. Sed nec alterum genus ab iis negligi potest. Neque enim iustitiam

<sup>b)</sup> Extat hic tractatus in Gronouii thesaur. Graec. Antiquit. Tom. V.

<sup>c)</sup> In Criticis sacris Tom. I. Part. 2.



iustitiam in omni vita, et probitatem, bono ciue dignam demonstrant  
 homines, si sceleris amor, ac pravae libidines intus lateant, ac domi-  
 nentur in animo. Cum igitur recte distinguantur haec duo, honestas  
 actionum *externa* conuenientium cum legibus, ad securitatem felicita-  
 temque reipublicae pertinentibus; et honestas actionum *interna*, quae  
 efficit, vt omni ex parte sint rectae, et cum rerum natura, saluteque  
 priuata consentiant: sequitur, vt commode legum quoque ponantur  
 genera duo; alterum ciuilium, quibus praeter externa reipublicae com-  
 moda nihil sit propositum; alterum vero moralium stricte dictarum,  
 hoc est, earum, quarum vis priuatam ciuium vitam regat, eorumque  
 mores et animus ad praecolla quaevis flectat et impellat. Habet hoc  
*volumen* veterum rerum publicarum omnium, vt fere genus vtrum-  
 que complectatur simul. Cum igitur leges morales Solonis et Lycuri-  
 gi contendimus cum legi morali Mosis: non hoc agimus, vt omnium,  
 quae ab his viris praescripta sunt, comparationem instituamus; quae  
 disputatio prosector minime posset academicci libelli angustiis cohiberi:  
 sed hoc nobis propositum est, vt ea, quae in *volumen* Mosis ad con-  
 formandos ciuium animos regendamque vitam eorum priuatam aliquo  
 modo pertinere possunt, conferamus cum his, quae eodem consilio  
 a Lycurgo et Solone constituta sunt. Putamus enim, legum Mosai-  
 carum vim fuisse maiorem ad implendos ciuium animos sensibus hone-  
 stis, et ad mores corrigendos, quam eorum, quae Spartanorum et  
 Atheniensium legumlatores excogitarunt. Iam *fontes*, e quibus haurien-  
 da sunt, quae ad historiam pertinent, et libri praeципui de hac re scripti  
 sunt recensendi. Inter eos, qui *volumen* Lycurgi et Solonis nobis  
 tradunt, primum locum occupant XENOPHON et ARISTOTELES. Ille  
 enim in libellis iis, quos de *Atheniensium et Lacedaemoniorum rebus  
 publicis* scripsit, haud pauca protulit, quae ad recte perspicidam  
 vtriusque ciuitatis naturam proflunt. Aristoteles vero subtili-  
 ter,

ter, ut solet, et accurate de utraque ciuitate differit in libris *de Republica II. 9. et 12.* Addendi sunt hi, qui vitas Lycurgi et Solonis descripserunt, ut PLUTARCHVS et DIOGENES LAERTIVS. Hi plurimas eorum commemorant leges, et occasionem narrant, qua fuerint receperiae. Ex his, aliquique scriptoribus, ut PLATONE, ISOCRATE, DEMOSTHENE, AESCHINE, aliis oratoribus Graecis, CICERONE denique collegerunt quidam leges et instituta, librisque peculiaribus exposuerunt. Eiusmodi collectionem legum Solonis curauit MEVRSIUS in vita Solonis et Themide Attica, itemque Sam. PETITVS in Commentariis de legibus Atticis. Collectio legum a Lycurgo latarum reperitur in Nicol. CRAGII libro de republica Lacedaemoniorum. Multa autem de legibus Spartanorum et Atheniensium, ac de earum vi, utilitate, sapientia, vitiis denique, et erroribus sparsum occurrunt apud scriptores recentiores paene infinitos, quos longum foret singulos commemorare. In primis digni sunt, qui cognoscantur in hac causa MONTAGVIUS,<sup>a)</sup> MONTESQVIEVS in opere *de causis legum*, auctor libri Francici de felicitate publica, qui in parte operis prima multa offeruat egregie,<sup>b)</sup> auctor denique libri vernaculi de legislatione Spartanorum.<sup>f)</sup> Nuperime accesserunt quaestiones philosophicae de Graecis, quarum auctor est DE PAUW, vir ingenio et doctrina longe celeberrimus, quas tamen videre nondum nobis contigit.<sup>g)</sup> De legislatione Mosis praeter Carol.

B 2

SIGO.

- <sup>a)</sup> In libro: *Betrachtungen über die Aufnahme und den Verfall der alten Republiken*. Bresl. 1761.
- <sup>b)</sup> Titulus est: *de la felicité publique ou considérations sur le sort des hommes*. a Bouillon 1776.
- <sup>f)</sup> *Politische und moralische Betrachtungen über die Spartanische Gesetzgebung des Lycurgus*. Lindau 1763.
- <sup>g)</sup> Index operis est: *Recherches philosophique sur les Grecs par M. de Pauw*; 4. Tom.



SIGONIVM, Herman. CONRINGIVM et Petr. CVNAEVUM de *republica Hebraeorum* egregie atque erudite egit MICHAELIS in libro: *Mosaisches Recht*; vt alios taceamus multos, qui in illustrandis legibus Mosaicis studium operamque suam posuere. In PHILONIS tractatu de decalogo leges Mosis non tantum explicantur, sed interdum etiam cum legibus Lycurgi et Solonis comparantur. Nec silentio praetermittendus est IOSEPHVS, qui in libris duobus *contra Apionem* multa differit ad causam nostram pertinentia.

Quibus praemissis vberius explicanda est praestantia legum Mosaicarum moralium, docendumque, quomodo superent leges Lycurgi et Solonis. Id vero non tam ex singulis legibus quam ex uniuerso earum consilio diiudicari debet. Etenim potest aliqua lex utilis esse civitati cui lata est, si cum caeteris legibus coniuncta obseruatur; cum per se considerata atque in alia civitate, aliis legibus instructa, turpissima sit atque iniustissima. Quilibet legumlator alium sibi proponit finem, ad quem leges suas in primis refert. Alius fortitudinem bellicam, alias opulentiam, alias tranquillitatem, alias alia spectat, ideoque tales fert leges, quales consilio suo maxime profuturas putat. Quoniam in legibus moralibus omnia redeunt ad virtutem augendam, videndum erit, quaenam potissimum e tribus illis legum lationibus virtuti plurimum profit. Hoc autem de Mosaica dicendum esse, duobus potissimum argumentis, uno a legum consilio, altero a singulis legibus desunto, probabimus. Etenim quaestio de diuina legum Mosaicarum origine hoc non pertinere videtur. Omnes fere, qui inquam sapientes extiterunt legum latores hoc egerunt, vt ciuium mores formaturi diuina auctoritate leges suas munire iisque obsequium conciliare studerent. Quis est, qui nesciat, Numam Pomphilum cum Dea Egeria se

ſe familiaria habere colloquia, ſimulaffe? <sup>b)</sup> atque omnes fere legum latores antiquos afflati diuino leges ſe ſcribere profeflos eſſe? <sup>i)</sup> Lycurgus praetexuit Apollinis Delphici oraculum: leges suas eſſe aptiſſimas ad ciues fuos felices reddendos, Spartamque tam diu mansuram eſſe ciuitatem nobilissimam, quam diu hae leges obſeruentur. Idem oraculum nomine Dei Lycurgum appellaffe dicitur, quare diuinus ho- nor ipſi habitus ac delubrum ad eius memoriam recolendam exſtru- clum eſt, vt HERODOTVS teſtatur I. 65. 66. Quis vero noſtra aetate in dubium vocauerit, oracula gentilium fuſſe mera commenta ſacer- dotum, quibus inficiam populi, ſuperſlitioni tum admodum dediti, egregie ſuſtentarent? Lycurgum leges suas a Cretensibus, Aegyptiis atque Ioniis ſumſiſſe, teſtes fuit PLVTARCHVS in eius vita c. 4. ISO- CRATES in laudatione Buſſridis, p. 438. ed. Hier. Wolfi. PLATO de legibb. L. III. p. 118. ed. Bipont. Iam etſi nemo dixerit, Moſen, leges suas omnes diuina auctoritate munientem, cum hiſ et aliis legumlato- ribus vetuſis vno eſſe eodemque loco habendum, cum ſatis conſet, quoſ et quantiſ argumentiſ demonſtrari poſſit, hoc viro Deum iſpum eſſe uſum ad ſtabiliendam inter Iſraelitas religionem veram et forman- dos iſtius populi mores: tamen ea reſ huic non pertinet. Nos de legi- bus Moſaicis ita iam quaerimus, vt, miſſa origine earum diuina, ha- veamus in vi, quam habuerunt, vel potuiffent habere ad corrigendos Iſraelitas, et veram virtutem augendam. Quae ſi fuit, vii nobis qui-

B 3

dem

b) v. LIVI Hiftor. I. 19.

i) cf. WARBURTON legat. diuin. Moſis, Part. I. p. 147. ſqq. vern.  
Idem affiſmat ROUSSAU contr. Soc. p. 139. Jamais etat ne fut fon- deé, que la religion ne lui feroit de base. Et NEMESIS de natur. hom. c. 39. τὰ πλεῖστα τῶν ἐθνῶν θεοίς ἐπιμυράφεται νομοθέτες, ὡς Κερτες μὲν τὸν Δία, Λαχεδαιμόνιος δὲ Ἀπόλλωνα.



dem videtur tanta, ut leges aliorum et quidem sapientissimorum hominum longe supererit, hoc ipsum argumento esse poterit, quam recte sentiant Iudei et Christiani, quibus leges Mosaicae diuinitus patescant evidenter.

*Praestantia legum moralium Mosis pree legibus Lycurgi et Solonis e consilio legum latoris probatur.*

Iam supra dictum est, primum argumentum pro praestantia legum moralium Mosis pree legibus Lycurgi et Solonis a *consilio* petum esse, quod hi legum latores fecuti sint. Ostendendum igitur erit, Mosaicam legum rationem virtuti magis esse accommodatam, quam reliquas. Ponimus autem hic virtutis notionem eam, quam et ratio suadet, et Christiana religio confirmat, quod eae demum leges, quae ad veram perfectionem moralem tendunt, praestantes appellari possunt. Neminem igitur historiae Graecae paullo peritiorem reperiiri puto, qui ignoret, Lycurgum omnia retulisse eo, ut stabilem duraturamque formaret rempublicam, et hanc ob causam omni modo virtutem bellicam commendasse suis. v. PLYTARCHVS in Solon. c. 22. Quapropter ARISTOTELES Politicor. VII. II. et PLATO de legib. I. p. 7. 8. ed. BIPONT. et III. p. 129. recte monuerunt, in Lycurgi νομοθεσία partem virtutis tantum spectatam, omneque studium ad res bellicas fuisse conuersum. Lacaenae matres filiis ad pugnam proficiscentibus his verbis trahabant scutum: ή τὰν, η ἐπι τὰν. <sup>k)</sup> et folis fere militibus in bello cae-

fis

k) v. CRAGIVS de republ. Lacedaem. Lib. III. Tab. 12. Instit. 12. De significatione verborum ipsorum cf. GOTTLIEBER ad Periclis Thucydidei orationem funebrem, vna cum Platonis Menexeno editam. p. 86.

sis monumentum cum inscriptione nominis ponebatur,<sup>1)</sup> tanquam aliorum non fuerit ad posteritatem propaganda memoria. Itaque non est, quod miremur, si multi cognatorum in bello defuncti de honore illo gloriarentur, aliasque de reipublicae administratione bene meritos despicerent. Sed quis non videt, disciplinam Spartanorum, compositam fere totam ad excitandam virtutem bellicam, effecisse quidem hoc, vt Spartani homines essent feueri, caloris ac frigoris patientes, in cibo ac potu summam adhiberent temperantiam, animum plenum audaciae ad capessenda pericula, plenum consilii ac prudentiae in periculis ipsis, vinci denique nescium et elatum demonstrarent; sed eandem disciplinam non potuisse non ingentia vitia in iisdem ciuibus alere, crudelitatem inhumanam, reliquorum hominum contemtum, fastuum et insolentiam paene incredibilem, perfidiam et fraudes, immanem denique et intolerandam barbariem, quae abhorret a literis et ab omni cultu paullo liberaliori? Fuisse autem hanc Spartanis indolem virtutum ac vitiorum, omnis loquitur rerum ab ipsis gestarum memoria.

Longe alia fecutus est Solon. Manifestum est, ingenium hominis mitius, minime alienum a voluptatibus ac vitae mollieris deliciis, cf. PLVTARCHVS in *Solon*. c. 3. in ferendis legibus omnia retulisse eo, vt ciuitatem conderet florentem opibus ac beatam. Primo quidem hoc intelligi potest ex eo, quod artibus opificum, quas vehementer spernabant Spartani, magnum adiecit αξιοποίησα. Nam cum ager Atticus parum fertilis esset, quod nec XENOPHON, magnus regionis Atticae laudator, plane negare ausus est; v. libellus *de redditib. ciuit. Athen. augendis*, c. 1.

alium

1) PLVTARCHVS in *Lycуро* c. 27. ἐπιγένεται δὲ τὸνομα Σάψαγτας ἐκ τῆς νεκρῆς, πλὴν αἰδεῖς ἐν πολέμῳ, καὶ γυναικός, των ιερῶν ἀποθανόντων.



alium putauit aperiendum esse diuitiarum fontem. Aluit igitur artes omnes, et praecepit Areopagitarum curiae, ut diligenter obseruaret, quoniam se quisque tueretur quaestu, et animadueteret in otiosos. Quia in re eo progressus est, ut legem ferret, ne filius patrem, qui ipsum non docuisset artem aliquam, cogeretur alere; v. PLVTARCHVS in Sol. c. 22. Vehementer etiam fauit nautis, et omnibus, qui negotiarentur genere aliquo mercaturae per mari. Vedit enim vir sapiensissimus, qui et ipse mercaturis faciendis operam dedisset, cf. PLVTARCHVS in Sol. c. 2. hoc modo facile opulentiam fieri posse rempublicam, praesertim cum ipse situs regionis Atticae rei nauticae accommodatissimus esset. v. XENOPHON de reddit. ciu. Att. c. 1. §. 7. Hoc cum impulit, ut his, qui rem nauticam exercent, et hoc modo colligerent diuitias, magnam auctoritatem tribueret, v. PLVTARCHVS in Sol. c. 18. quae postea vehementer crevit, cum Themistoclis consilio tota res publica ad maris imperium conuerteretur. cf. PLVTARCHVS in Themistocle, c. 19. et XENOPHON de republ. Athen. c. 1. §. 2. Inde igitur factum est, ut Athenienses Graecorum omnium longe doctissimi essent, cultu, artibus, humanitate, morum denique elegantia reliquos omnes facile superarent; sed immigrarunt etiam mature in rempublicam luxuria, lenitas, avaritia, libido et artes malae omnis generis. Atque hoc accidisse Solonis adhuc aetate, vel inde patet, quod ipse admittendas censuit mulieres, quae corpore quaestum facerent, omniumque libidini publice paterent.

Sed a Lycurgi Solonisque consiliis, hactenus breuiter expositis, quantum quaeſo differt Mosis in constituenda ciuitate Israelitica ratio? Huic enim nihil aliud fuit propositum, nisi ut rempublicam conderet, verae religionis, in cultu Dei viuis, eiusdemque rerum omnium auctoris et gubernatoris positae, constantem fidamque conservatricem.

uaticem. Abstraxit itaque Israelitas ab artibus bellicis, et accurate de-  
scriptis finibus terrae, quam tenere debeant, proferre limites imperii  
vetuit; arma tractare non nisi eo consilio iussit suos, vt sua tueri, ho-  
stiumque impetus repellere possent. Ea igitur vitia, quae Spartanorum  
mores corrumpabant, Israelitarum rempublicam non poterant in-  
uadere. Quo minus autem luxuria, qua Athenienses maxime diffue-  
bant, aditum inueniret ad rempublicam suam, vario modo impediuit  
Moses. Ac primo quidem seiuinxit Israelitas a commercio cum genti-  
bus exteris, ne harum veluti contagione corrumperentur. Deinde ho-  
norem dignitatemque maximam tribuit agricolationi et rei pecuariae;  
et cum terra Israelitica fertilitate nou admodum se commendaret, sed  
multo labore exercenda esset et cogenda quasi ad edendas messes lar-  
gas, facile effecit, vt populus Israeliticus amaret tranquillitatem, con-  
tentus viueret rebus, studio, labore, opera sua partis, a mercatura  
autem et artibus iis, quae vitam molliorem reddunt, penitus abhorre-  
ret. Ipsa Deum colendi ratio, quam praescripsit, aliena erat a magnifi-  
centia, quam gentes adhibere solebant in colendis diis, atque sic ob-  
struxit alium luxuriae fontem. Nam si cogitauerimus, omnes leges  
Mosaicas eo tendere, vt cognitio vnius veri Dei, eiusque cultus conser-  
varetur; si considerauerimus prudentiam plane singularem, qua effecit  
Moses, vt religio, et veri Dei cogitatio coniuncta esset cum institutis  
Israelitarum omnibus, et ad omnes vitae partes pertineret; si denique  
paullo diligentius examinauerimus ea, quae haec religio postulauerit,  
et quam pie, iuste et sancte viuendum fuerit ei, qui eam sequi et in  
omni actione ac vita exprimere vellet: haec omnia, inquam, si perpen-  
dere voluerimus, vix poterimus negare, leges Mosis morales iam pro-  
pter consilium, quod ipsis propositum fuerit, praestare legibus Lycurgi  
ac Solonis.

C

Prae-



*Praestantia legum moralium Mosis ex iis legibus demonstratur, quae ad vitam ciuium priuatam ac domesticam pertinent.*

Idem etiam ex singulis legibus demonstrari potest, et quidem primo ex iis, quae ad vitam ciuium priuatam ac domesticam pertinent. Namque honestati morum, matrimoniorum castitati atque amori in liberos et seruos a Mose multo melius consulitur, quam a Lycurgo et Solone. Hi legum latores Graecorum legibus suis vel patrocinantur vi tuis quibusdam grauissimis, quae Moses omni studio vitare iubet, et quae ciuitatis, in qua grassantur, interitum necessario debent accelerare. Ne tamen sine probatione videar aliquid contendisse, quod minuat auctoritatem legum latorum gentilium celeberrimorum, hoc ex ipsis eorum legibus probabo. Honestati morum periculosisimum fuit institutum Lycurgi, quo adultae et adulti nudi saltarent, adstantibus et spectantibus iuuenibus, quodque PLUTARCH. *in vita Lycurgi*, c. 14. his verbis refert: ἀδὲν οὐτον ἄθιστος τῶν κόρων τὰς κόρες γυμνάς τε πολιτεύειν, καὶ πέροις ιεροῖς τισιν ἐρχεῖνται καὶ ἀδειν, τῶν νέων παρέστων καὶ θεωμένων. Licit ex voluntate legum latoris ab hisce saltationibus molitiae omnis feminea remouenda esset; negari tamen non potest, saepe inuitis eiusmodi cogitationes sese obtrudere, quae moribus sunt periculosissimae. Multo tamen turpius est institutum Solonis, qui mulierculas ematas libidini iuuenum in ganeis proslituit, et ex quaestu carum templum Veneri τῷ Πανδῆμῳ f. Vulgari exstruxit. v. MEVRSII *Solon*, c 25. Moses contra non modo omnem scortationem vetat Levit. XVIII. 29. Deut. XXIII. 18. sed ei quoque, qui virginem vitauerat, poenam irrogat hanc, ut eam in matrimonium ducat. Exod. XXII. 15. Quae quidem poena criminis admisso adeo conuenit, ut non desint, qui hunc morem nostris quoque temporibus commendent ac suadeant. Com pressae

præfæ quidem peculiarem Moses non proponit poenam, id vero non  
 est mirandum, quod eiusmodi puella iam satis punita est, et ipsa fert  
 summam ignominiam. Si poena civilis adhuc accederet, maius oriretur  
 damnum, quod *autoxerçia*, cacci infantum et suffocationi foetus ansam  
 praebet. Ac properea multi optarunt, ut hodie quoque sublati  
 omnibus poenis haec mala cauerentur. Adulterii vitium omnium sane  
 nequissimum legibus Lycurgi non modo non vetitum, sed disertis et  
 iam verbis permisum fuit, legibus autem Solonis vniuersitate quidem pro-  
 hibitum, sed nonnullis concessum fuit. Notatu dignam PLUTARCHVS  
*in Lycurg.* c. 15. narrat historiam, quae probat, Lycurgum non ve-  
 tuisse adulterium. Etenim hospiti cuidam seiscitanti a Spartano quo-  
 dam, quaenam poena in adulteros esset constituta, respondet, non  
 iuueniri adulteros in ciuitate Laconica, ideoque non opus esse lege qua-  
 dam. At vero disertis legum verbis ostendere possumus, adulterium in  
 caussis quibusdam fuisse licitum. Si senex maritus vxorem iuuenem  
 duxerat, ad eam adolescentem admittere potuit, sicut XENOPHON *de*  
*republ. Laced.* narrat: εἴ γε μέντοι συμβαῖνειν γεγένειον νέαν ἔχειν — τῷ  
 πρεσβύτῃ ἐποίησεν, ὅποις αὐθόδος σώμα τε καὶ ψυχὴν ἀγαθεῖν, τοῦτον  
 ἐπαγγορέων τενυοποίησαθεν, et PLUTARCH. *Lycurg.* c. 15. Si cuidam  
 esset vxor foecunda, aliis concedi poterat, ut idem XENOPHON refert:  
 εἴ δέ τις γυναικὶ μὲν συνοικεῖ μὴ βούλοιτο, τένεν δὲ ἀξιολόγουν ἐπιθυ-  
 μοῖν, καὶ τέτο νόμιμον ἐποίησεν, ἵνα τινὲς ἄντεκκον καὶ γενναῖσαν ὅρον,  
 πέσσαντες τὸν ἔχοντα εἰς τάντης τενυοποίησθαι. PLUTARCHVS qui l. c.  
 idem commemorat, excusationis loco addit, legum latorem voluisse,  
 ut liberi non essent priuati parentum, verum communes ciuitatis. Sed  
 quanquam sic oritur adulterii genus quoddam singulare, quod conscientia  
 et permittente marito sit, cui hac ipsa de causa, quod consentit, non  
 infertur iniuria: tamen facile intelligitur, vehementer corrumpi casti-  
 tatem morum, si alienæ vxoris potiundae spes proposita sit, et coniugii



sanctitatem vilescere. Idem fere constituit Soloni, hoc tamen discri-  
 mine, ut magis restringeret hanc legem. Neque enim omnibus lici-  
 tum fuit alterius vxorem sibi expetere, sed mariti consanguineis tantum,  
 si viderent, maritum legitimum, qui orbam ex legibus <sup>m)</sup> in matrimonio  
 duxerat, impotentem esse. Primo quidem intuitu non plane im-  
 probanda videtur haec lex, imo potius naturae humanae maxime ac-  
 commodata: verum si perpendimus, adulterium non modo per se  
 summam iniustitiam esse, sed eo quoque legitima impediri connubia,  
 quae plurimum ad amplificandam et ciuibus augendam rem publicam  
 conferunt, iure cum PLVTARCHO ridiculam et ineptam hanc legem vo-  
 care possumus. Hic in Solone, c. 20, sic scribit: ἀτοπος καὶ γελῶσις  
 δονεῖ ὁ τῇ ἐπικλήσῃ δίδει, ἀν ὁ πεστὸν καὶ κύριος γεγονὼς κατὰ τὸν νό-  
 μον, αὐτὸς μὴ δυνατὸς η πλησιάζειν, ὑπὸ τῶν ἔργων τε αὐθόρες ὄπιστε-  
 σαι. Huc accedit, adulterium aliis seuerissime fuisse vetitum, et poe-  
 nas grauissimas in adulteros constitutas. Poterant enim aequa ac adul-  
 terae interfici, vt e PLVTARCHO constat in Sol. c. 23. μειχὸν μὲν ἀνε-  
 λαῖν τῷ λαβέντι δέδωκεν. Plures locos in hanc rem congesit PETITVS  
 ad legg. Attic. L. VI. T. 4. leg. 1. 2. et MEVRSIUS in Them. Att. I.  
 4. 5. Facile videmus, legum latorem sibi ipsi non constare, sed actionem  
 per se illicitam et noxiā alii permittere, alii interdicere. Mu-  
 lto rectius Moses adulterium omnino vitandum ac sine exceptione puni-  
 endum esse iubet Exod. XX. 13. Si quis adulterium cum libera  
 commiserat, capite plectebatur Lev. XX. 10. si vero cum serua, sacrificium  
 erat offerendum. Lev. XVIII. 20. 22. Quod ad eas Mosis le-  
 ges attinet, quibus concubinatum, polygamiam et matrimonium leui-  
 ratus permisit, ideo non reprehendendus videtur legum conditor sa-  
 pientissimus. In ferendis enim legibus tempori est inserendum et  
 iustitia

<sup>m)</sup> v. MEVRSIU Solon, c. 16.

iustitia actionum humanarum semper ex rebus circumstantibus est diutinuanda, v. g. praecognitis opinionibus alicuius gentis, quas sibi eripi non patitur, procluitate quadam ad vitia nonnulla; idque in primis de hisce legibus valet. Concubinatus, qui teste NIEBVHRO Arab. *Reisebeschreib.* p. 74. adhuc in Arabia obtinet, propter coeli tractum calidissimum concedendus fuit, ne vitia contra naturam exercerentur. Polygamia vero iam ante Mosen usitata, propter τηληγοναρχίαν Israëlitarum abrogari non potuit, quod Ill. MICHAELIS *Mos. Recht.* P. II. §. 96. luculenter demonstrauit. Leuiratus etiam ante Moses tempora iam in usu fuit, et propterea retineri debuit, quod ατενία opprobrio erat, ut exemplum Sarae et Rahelis docet. Laudandus igitur est Moses, quod remota nimia severitate ciuium suorum respexit ingenium. Caeterum quantopere Lycurgum et Solonem in eo quoque superauerit Moses, quod a matrimonio cum fororibus plane abstinere se iussit suos, bene monet PHILO *de decalogo*, p. 779. Insignis etiam præstantia legum Mosis, quae ad vitam ciuium domesticam pertinent, in eo cernitur, quod erga liberos et seruos multo mitiores et aequiores, ideoque debili naturæ humanae magis accommodatae sunt. Legum fancitor, qui nimis severam inducere vult disciplinam, nihil efficiet, dum nimium efficere nudit. Eius autem rei tantam, quantum Moses habuisse curam Lycurgus et Solon non videntur, quorum leges tam severae sunt, ut nonnullae crudeles dici possint. Huc pertinet lex Lycurgi, qua caedem infanticum non monstrosorum tantum, sed etiam debilium ius sit. v. PLUTARCH. *Lycurg.* c. 16. ἀγενὴς καὶ ἄμορφος (παιδάριος) ἀπέπεμπον εἰς τὰς λεγούσας ἀποθέτας, βαραθρῷ τέτον. Nonnulli quidem laudatores Lycurgi vt JAC. WEGELIN *polit. u. moral. Betracht. über die Spartan. Gesetzgeb. des Lycurgs*, p. 58. hoc ipsum conferunt ad probandum eius sapientiam. Putant enim, hoc ab ipso propterea mandatum esse, ne debilitas et mores effeminati ciuitatem corrumperent.



At vero, nonne facinus homine prorsus indignum est, si ciues, qui vix in societatem humanam ingressi sunt, iterum ex ea discedere coguntur, quid? sine legitima causa extruduntur? Ut enim nihil dicam de eo, mollitatem corporis et animi non necessario inde euenire debuisse, hoc certe monendum esse videtur, vix potuisse oriri maiora mala, si debilitas ciuium quorundam potita esset, quam si liberi, simulatque lucem conspexissent, morti traderentur. Imo vero contemplatio miseriae aliorum homines duros mitiores reddere, eos ad misericordiam commovere ac sapientiores facere potuisset, ὅτι πολλάκις τὰ παθήματα τοῖς ἀνθρώποις μαθήματα γίνονται.<sup>a)</sup> Et quis nescit, haud raro infantes eos, qui vix aliquot horas viderentur trahere posse, postea ita confirmatos esse, ut robusti fierent ac fortes? Igitur ne satis prudenter quidem haec instituit Lycurgus, sed multis praeclaris ciuibis patriam ipse priuauit. Praeterea quoque tota liberum educatio ex legibus Lycurgi fuit nimis rigida, interdum sanitati noxia et vel vitae periculosa. Neque vero plane reprobamus institutum Lycurgi, quo voluit, ut Lacedaemoniorum iuvenes paullo asperius educarentur et mature laboribus assuefierent. Quis v. g. reprehendet hoc, exercendos esse infantes, ut in solitudine ac tenebris imperterriti sint<sup>b)</sup> ut modeste incedant<sup>c)</sup> et quae sunt alia eiusmodi instituta saluberrima. Attamen in seueritate etiam est modus tenendus, ne in crudelitatem degeneret. Nota est διαμεσῆγως Lacedaemoniorum, qua pueri quotannis ad aram Dianaee

Orthiae

<sup>a)</sup> AESOP. fab. 34. et f. 39. monet: ὅτι ἄλλων κοπιῶντων ἄλλοι κερδάνεται.

<sup>b)</sup> v. PLUTARCH. Lycurg. c. 16. αἴθαμβη σκότῳ καὶ πρέσῃ ἐργαίαν ἀφοβά.

<sup>c)</sup> XENOPHON de republ. Laced. ait: Δυκέργος ἐν ταῖς ὁδοῖς ἐπέταξεν ἐν τὸς μὲν τὴς ιματίες τῷ χρήσει ἐχειν — περιβλέπειν δὲ μηδαμούς, ἀλλ' οὐτὰ τὰ πρέσῃ τῶν ποδῶν ὄραν.

Orthiae flagellis caedebantur. Hi cruciatus tanta cum patientia perferrendi fuerunt, ut ne ingemiscere quidem puero licet. Parentes et propinqui adstantes ad tolerandas plagas eum abortati sunt. Vix credi posset haec insania, nisi testes adcessent locupletissimi, quos CRAGIVS laudat *de republ. Laced.* L. III. Tab. 9. inst. 8. Sed habuit ea res hanc vim, ut patientes laborum fierent quidem Spartani, sed simul etiam exuerent omnem humanitatem et aduersus omnes crudelissime se gererent. Cum disciplina liberorum apud Spartanos tam severa fuerit: non est quod miremur, seruos etiam crudeliter esse tractatos. In proverbium abiit formula: grauiore seruitute premere quam Helotas. v. ISOCRATES *Panathenaei*. p. 494. Quoniam numerus seruorum apud Lacedaemonios superauit numerum liberorum hominum, legem tulisse dicitur Lycurgus, ut multitudine seruorum exundans per infidias amoueretur, qui dolus vocatus est *εγυπτέας*, teste PLVTARCHO in *Lycurg.* c. 28. Quae quanta crudelitas, homines insontes trucidare! Neque etiam silentio praetermittere possum, Spartanorum legum latorem praecepisse, ut serui quotannis ebrii redderentur, quo magis patrii iuuenes ebrietatis vitium detestarentur. v. PLVTARCH. l. c. Egregia profecto causa, ut pauci nobiles discant, quam detestabilis sit ebrietas, multo maior seruorum numerus ad idem vitium exercendum impellitur! Num quae[m] mala sunt facienda, ut inde euenerint bona? Solonis quoque legibus iusto durior inducta est educatio liberum et tractatio seruorum. Permisit enim hic vir, ut parentes liberos suos vel indemnatos occidere possent. Lex sane crudelissima atque iniussissima. Hoc est, quod SEXTVS EMPIRICVS praecepit vrget *Pyrrh. Hypo-*lyp. III. 24. cuius verba MEVRSIVS *Them. Att.* I. 2. afferit, qui plures etiam locos veterum laudat ad hanc rem probandam. Fieri enim potest, ut parentes ira commoti liberos suos ob leue vitium quoddam contra se commisimus, ad mortem usque caedant. Quid autem fiet, si hoc impune



impune ac sine magistratus cognitione facere possunt? Multi sane patria potestate abusuri ciuib[us] priuabunt rem publicam, iure sibi competere hanc rati auctoritatem. Seruitus Atheniensium licet non tam seuera fuerit, quam Lacedaemoniorum, ab omni tamen iniquitate non videatur immunis fuisse. Vt enim taceam, Solonem nihil praescripsisse de lenitate erga seruos obseruanda: hoc tamen aequitati repugnare videtur, quod non licuit eos ciuitate donare, neque vinum iis bibendum dare, nisi primo die Anthesteriorum, qui Πλούτονα dicebatur. Injustum est, id, quod natura omnibus concessit, nonnullis denegare. Neque etiam permisum fuit seruis Atheniensium artem medicam discessere, de quibus legibus omnibus v. MEVRSI Them. Att. II. 11. Quae autem XENOPHON de republ. Athen. c. 1. §. 10. 11. de beata seruorum Atheniensium forte narrat, ea videntur non a Solonis legibus deriuanda, sed senioris originis esse. Plane aliter Moses et liberos et seruos tractari iubet. Parentibus quidem concessit potestatem quandam in liberos suos, verum ius vitae et necis iis non tribuit. Pater castigare potuit liberos inobedientes Deut. XXI. 18. si vero pertinaces essent, in ius rapiebantur v. 19. Qui grauius delictum in parentes commiserat, morte puniebatur. Exod. XXI. 15. 17. Neque vero pater ipse trucidare poterat filium, vt apud Athenieses ex legibus Solonis. Noluit etiam Israelitarum legum lator, vt parentes liberis id detraherent, quod ipsis competeteret, ideoque Deut. XXI. 15. 17. fanciuit, ne quis iura primogeniti in aliud transferret. Sicut autem amorem erga liberos Moses inculcat, ita etiam seruos leniter tractandos Lev. XXV. 43. et septimo seruitus anno in libertatem vindicandos esse iubet Deut. XV. 12. Vel munera manumisitis dabantur v. 13. 14. et quae seruus attulerat ad dominum, ei reddebantur, cum in libertatem vindicaretur. Exod. XXI. 1. 3. Qui seruum suum ad mortem usque caedebat, puniebatur v. 20. qui eum corporis membro mutilarat, libertate eum donare debebat

v. 26.

v. 26. 27. Quoniam consuetudo fuit inducta, quae non facile posset abrogari, vt iuuenes Israelitae praeter legitimas vxores etiam seruas concubinas haberent; Moses praecepit parentibus, vt eas seruas, quas filii suis ad concubitum darent, tanquam filias tractarent, filiis autem, qui eas vxorum loco haberent, vt nihil iis detraherent, neque vietum, neque cultum, neque officia coniugii. Sin minus, in libertatem vindicarent. Exod. XXI. 9-11. Cum fieri posset, vt serua domino non placaret, constitutum erat, vt, quantum dominus posset, ad liberacionem seruae conferret, ne semper in coelibatu vivere cogeretur. Interdictum autem est, ne inter gentes exteras venderetur. Tantum diffrerabat Hebraeorum seruitus a seruitute Graecorum, apud quos serui non vt homines, sed vt pecora tractabantur. Moses non induxit seruitutem in ciuitate sua, sed vt malum necessarium eam retinuit. Abrahami enim temporibus iam fuit in vsu, et Israelitae aegre deseruissent hunc morem a maioribus acceptum. Cum igitur immedicable vulnus ense recidendum non esset, ne pars sincera traheretur, visum est Moysi seruitutem limitibus circumscribere, vt omnis crudelitas tolleretur et solum fere nomen seruitutis maneret. Legibus, quae ad vitam ciuium domesticam pertinent, etiam haec sunt annumerandae, quae praescribunt, quomodo animalia sint tractanda. Notata digna est lenitas et mansuetudo, quam Moses erga animalia obseruandam esse praecepit. Boui trituranti negari non potuit frumentum, quod triturabat. Deut. XXV. 4. animali sub onere gementi succurrendum fuit. Exod. XXIII. 5. pulli una cum matre non fuerunt ex nido rapiendi. Deut. XXII. 6. 7. Quam postremam legem MICHAELIS peculiari dissertatione ex historia naturali illustravit. Videntur quidem haec omnia tanti non esse momenti, vt legum lator ea curare debeat: sed si rem accuratius perpendimus, facile appetit, lenitatem erga animalia plurimum adiuuare posse benevolentiam erga homines obseruandam. Etenim qui crudelis est



erga animalia, facile quoque erga homines fieri potest. An recte annotauerit Ill. MICHAELIS *Mos. Recht.* P. III. §. 164. vitae quaedam genera prae caeteris crudelitatem gignere, quemadmodum rem se habere putat cum lanionibus, qui multum sanguinis profundunt, ideoque sanguine humano non admundum communuentur, aliorum iudicio relictum esto. Hoc saltem meretur attentionem, quod idem refert, ob eandem causam laniones in Anglia non posse inter duodecim iudices recipi, qui de rebus capitalibus iudicant. Iam inter tres leges antiquissimas a Triptolemo Eleusine afferuatas haec quoque fuit, ne animalia laedantur, v. MEVRSII *Them. Att.* I. 1. Cum vero neque Lycurgus neque Solon eius rationem habuerint, quam Moses pluribus locis inculcat, patet, etiam propter hanc causam leges Mosis de vita ciuium priuata praeflantiores esse legibus nomothetarum illorum gentilium.

*Praeflantia legum Mosis ex iis legibus, quae docent, quomodo ciues reliqui, peregrini et hostes sint tractandi.*

Idem etiam valet de iis legibus, quae praescribunt, quomodo tractandi sint ciues reliqui, peregrini et hostes. In iis Lycurgi et Solonis praecepsit, quae officia erga ciues docent, multa vel omissa vel perperam constituta sunt, quae leges Mosis plenius et rectius praecipiunt. Sed liber ingentis molis esset conscribendus, si omnia vitia perstringere vellemus, quae in illis nomothesiis reprehendenda sint. Itaque breuiter tantum nonnulla indicabo. Nihil in vniuersum de amore erga alios, nec in specie de beneficentia erga egenos habent Lycurgus et Solon. Moses vero non solum beneficentiam erga pauperes commendat Deut. XV. 7-11. verum etiam quemque ut nos ipsos amare iubet. Lev. XVIII. 18. Ex legibus Lycurgi et Solonis dolus malus et partium studium erga ciues fuerunt licita. Nihil profecto iniustius cogitari

PO-

poteſt lege Lycurgi ea, qua furtum permittit, quamque **CRAGIUS de re-  
publ. Lacedaemonior.** L. III. Tab. 3. Inſlit. 12. inter absurdissimas re-  
fert. Omnis profeſto ſecuritas et amicitia tollitur, ſi impune alter al-  
teri res suas eripere poteſt. Hoc autem Lycurgum confeſſiſſe, teſtis  
eſt Plutarchus in eius vita c. 17. et **GELLIUS N. A. XI. 18.** In leges  
quidem Solonis non cadit opprobrium, eas dolum malum praecipere,  
verum alia eſt lex, quae partium ſtudium commendat, aequa iniuſta,  
ac lex Lycurgi de furto. Ex Solonis enim lege infamis fuit is, qui in  
ſeditione neutrā partem ſequi vellet. Hanc legeim ipſe Plutarchus <sup>2)</sup>  
*νόμον παράδοξον καὶ παραλογώτατον* vocat, licet conſilium legum  
latoris fuerit hoc, ne ciuium animi eſſent indiſſerentes et ſenſus expe-  
teſ in rebus, quae ſalutem rei publicae ſpectarent. Hoc enim non eſt  
optimum pacis reſtituenda ſubſidium, imo diſſidia mutuis rixis et con-  
tentioñibus magis magisque crescent, et in detrimentum rei publicae  
aluntur. Alia omnia iuſtituit Moses, qui ſine villa reſtricione furtum  
vetat Exod. XX. 13. quare non opus fuit, vt de aſtuta ablatione pecu-  
liarem promulgaret legem. Nam per ſe patet, ſi furtum quoduis illi-  
citudi eſt, aſtutam quoque eretionem non licere. Ad furtum reſe-  
renda eſt fraud in vendendo, et haec pariter a Moſe vetita eſt  
Lev. XVIII. 35-37. Attamen ſi quis furtum commiſſerat, nec habe-  
ret, vnde quadruplum vel quintuplum, prout furtum erat, reſtituere  
poſſet, tanquam ſeruus vendebatur Exod. XXI. 37. — XXII. 3. Et  
ſane in ciuitate, vbi ſeruitus eſt in vſu, haec poena vitio commiſſio  
maxime conuenit; pleruinque enim ignavia eſt cauſa furti. Fur labo-

D 2

rum

2) *In Solone, c. 20. τῶν δὲ ἀλλων ἀυτῶν νόμων ίδιος μὲν μάλιστα καὶ παρά-  
δοξος ὁ κελένων ἀτιμονῶν εἶνας τὸν ἐν σάσῃ μηδετέρας μερίδος γενόμενον.  
et de ſera numinis vindicta: παραλογώτατον δὲ τὸ τέλος Σόλωνος, ἀτ-  
μον εἴναι τὸν ἐν σάσῃ πόλεως μηδετέρᾳ μερίδιον προσθέμενον.*



rum impatiens putat, se facili negotio sibi victimam comparare posse  
 alios spoliando, quod impeditur, si vires eius operi cuidam perficien-  
 do destinantur, quo multum ad communem potest conferre utilitatem.  
 Alii vero, istorum hominum exemplo deterriti, legitimo modo sibi ea,  
 quae ad victimam et cultum requiruntur, comparare studebunt. Fur-  
 quidem nocturnus deprehensus ex eadem lege occidi poterat; sed hoc  
 propterea non est crudele, quia timendum est, furem nocturnum com-  
 prehensum non procul a trucidandi consilio abesse. Quis tandem vi-  
 tam suam arbitrio hominis nequissimi relinquere teneatur? Modera-  
 men inculpatae tutelae, quod iuris naturae doctores satis stabilierunt,  
 tolleret, qui Mosen propterea crudelitatis accusare vellet. In vniuer-  
 sum hoc de poenis a Mose constitutis monendum est, eas esse multo  
 mitiores criminibusque admissis magis conuenientes, quam poenas  
 a Lycurgo et Solone propositas. Hi legum sanctiores saepissime mor-  
 tem transgressoribus legum denunciarunt, vel infamiam, qua nullo  
 dignarentur honore, sed omnium exponerentur ludibrio. Moses contra,  
 qui ciuium vitae et honori magis pepercit, saepius multis  
 Deut. XXII. 19. 29. Exod. XXI. 22. sacrificiis offerendis Lev. V.  
 4-16. aliisque poenis inobedientes coerceri voluit. Sed redeundum  
 est, vnde digressi sumus. A partium studio, cui Solonis leges fauent,  
 Moses tantopere fuit remotus, vt illud ex Israelitarum terris penitus  
 proscripsisse videatur. Sanciuit enim, ne iudices a partibus litigantibus  
 munera acciperent, neque lucri studio alios opprimerent, neque nimia  
 erga egenos misericordia tacti, iustitiam laederent. Exod. XXIII. 6-8.  
 Lev. XVIII. 5. Deut. XVI. 19. XXVII. 25. Sic falsam quoque accusa-  
 tionem vetitam, falsumque testimonium quodvis illicitum fuisse sci-  
 mus. Exod. XX. 14. Pluribus, si opus esset, probare possemus  
 exemplis, Mosen optime ciuium suorum consuluisse felicitati et tran-  
 quillitati. Voluit enim, vt omnis iniuritia, calumnia, iracundia,  
 petulantia

pétulantia omneque odium e ciuitate pelleretur. Lev. XVIHI. 11. 18.  
 Idem erga peregrinos fuit multo liberalior, quam Lycurgus, qui pere-  
 grinis interdixit, ne Spartae commorarentur. Ita enim PLVTARCH.  
 in eius vita c. 27. scribit: τὸς ἀθεριζομένες ἐπ' ἔδεν χεισίμῳ — από-  
 λαυνεν. v. CRAGIVS de rep. Lac. L. III. Tab. 3. Inst. 3. THVCYDIDES  
 hanc putat fuisse caussam, ne discerent artes Spartanorum, et PLV-  
 TARCH. ne prauos inducerent mores. Vtrumque vero non sufficit, ad  
 excusandam hanc ξενλασίαν, sed aliuit potius barbariem illam incul-  
 tam, et mores illos inhumanos, de quibus supra diximus; et qui a vera  
 virtutis natura penitus abhorrent. Quanto humanius contra Moses  
 peregrinos tractari iubet? Lev. XVIII. 33. sq. Si quis eorum facinus  
 aliquod patraverat, non grauius puniebatur, quam Israelita, Lév. XXIII.  
 16. Quid? quod vel aduenis pauperibus prospexit Moses, cum  
 Lev. XVIII. 10. constitueret, non omnes fructus agrorum esse colli-  
 gendos, sed relinquendum aliquid pauperibus et peregrinis. Saepissi-  
 me monet, parcere debere peregrinis ciues suos, quod et ipsi peregr-  
 inorum forte experti sint in Aegypto Exod. XXIII. 9. Quemadmo-  
 dum hanc lenitatem ex legibus Mosis praescriptam laudamus, ita man-  
 fuectudinem erga hostes ex iisdem praeceptam Deut. XXIII. 9. iure mi-  
 ramur. Priusquam oppugnaretur vrbs quaedam, pax illi fuit offerenda  
 Deut. XX. 10. si recusaret, incolis eius fuit parcendum, nec licuit  
 infantes et mulieres inermes occidere v. 13. 14. Seuerior quidem  
 disciplina belli aduersus Amalekitas Deut. XXV. 19. Cananitas et  
 alias quasdam gentes c. XX. 16. 17. fuit obseruanda, ita ut nonnullis  
 crudelis videri possit: verum tunc opus fuit hac severitate, ne Israelitas  
 ab his populis ad idololatriam seducerentur Deut. XX. 18. Prae-  
 terea tam feroces fuerunt istae gentes, vt pax cum iis coli non posset.  
 Ipsi enim aggressae erant Israélitas Deut. XXV. 17. 18. et timendum  
 erat his, ne tandem ab illis sub iugum mitterentur.

D 3

Leges,



*Leges, quae praescribunt ludos, oblectamenta et sollemnia publica.*

Praestantia institutorum Mosaicorum etiam in iis legibus conspicua est, quae oblectamenta et sollemnia publica praescribunt. Lycurgus quidem et Solon peccasse videntur in eo, quod intactam reliquerunt superstitionem vulgarem, de religionis publicae emendatione parum solliciti. Atqui non paucas continebat ea religio caerimonias, instituta non pauca vana, morumque sanctitati noxia, quae abroganda penitus fuissent, si legibus suis civitatis saluti et verae virtutis dignitati consulere voluisse isti legum latores. Lycurgus addidit adeo sollemnia publica, morum casitati pudorique plane contraria. Quis enim nescit τὰς πομπὰς τῶν παιδέων, καὶ ἀποδύσεις, καὶ τὰς οὐρανὸς ἐφετῶν νέων et omnes illas γύμνωπαιδίδεις, quas ad confirmanda corpora virginum instituit Lycurgus, quae vero non poterant non esse pravae libidinis illecebrae perniciossimiae? Defendit quidem Lycurgi consilium PLVTARCH. *Lycurr. c. 14.* negatque, turpem fuisse illam γύμνωσιν τῶν παιδέων spectantibus adolescentibus, quod cum ea coniuncta fuerit pudicitia, libido autem abfuerit. Sed aegre hoc persuadet iis, qui humanae naturae imbecillitatem norunt, praesertim cum paucis interiectis c. 15. fateatur ipse, confluxisse iuvenes ad illud spectaculum ἀγρένες ἐγωτικάς οὐρανούς. Plane aliud et longe praestantius fuit Mosis in instituendis diebus festis consilium. Ac primo, quidem dies illi sollemnes in memoriam reuocabant populo cum ea, quae de Deo, rerum omnium opifice, conservatore et rectore, didicerat; cum beneficia longe maxima, maioribus ab illo summo rerum arbitro tributa. Hoc autem ad instituendos, emendandos et virtutis amore imbuendos hominum animos vim habere debuisse longe maximam, quis non videt? Deinde vehementer alebant haec sollemnia amore.

amorem patriae, et cives omnes aristissimo vinculo copulabant. Cum enim cives adulti omnes lege tenerentur confluere quotannis ad locum sacrum, ibique vii communibus caerimoniis, et recolere memoriam eorum, quae maioribus conditoribusque populi beneficio diuino contigissent: ipsa illa tam sollemnitas ac religiosa cogitatio stirpis ac generis, a quo omnes profecti erant, incendere poterat et augere amorem mutuum, eosque arctius deuincire. Accedit sapientissimum legislatoris consilium, quo per hanc occasionem instituenda erant coniuia, et indulgendum hilaritatii. Constat enim, quantopere ducatur animus humanus rebus iis, quae delectationem pollicentur, et quam avide expectet dies eos, qui hilariter et cum gaudio transigendi sunt. Erant autem illa coniuia ita comparata, ut homines varij generis, dignitate, opibus, institutis vitae longe diuersissimos miscerent et coniungerent. Vocandi enim et excipiendi a ditionibus, qui ex lege epulas parare debebant, erant pauperes, Leuitae, aliique, quos inopia et res angusta impediueriset, quominus in societatem publici gaudii peruenirent. Ne serui quidem et peregrini arcendi erant Deut. XVI. 11. omninoque in praescribendis his sollemnibus manifeste Mosi propositum erat hoc, ut populum formaret mansuetum, humanum, prouum illum quidem ad hilaritatem, sed alienum a moribus lascivis et corruptis, qui cum ipsis gaudiis coniungentur religionem, sensusque pios. Tempus et operam perderemus, si pluribus vellemus ostendere, quantopere vel in hac una re legum latores ii, quos cum Mose instituimus comparare, ab hoc supererentur.

*Praefstantia legum Mosis ex iis legibus, quae ad religionem pertinent.*

Denique in primis commemorandae sunt leges, quae ad religionem pertinent. Nihil prorsus de cultu diuino Solon constituit, ut testatur



testatur MAXIMVS TYRIYS differit. XXXVIII. p. 409. ed. Dauif. et LY-  
curgus exiguis sumtibus diis sacrificia esse offerenda praecepit. PLV-  
TARCH. Lyg. c. 19. Sed praeterea nihil in specie definit, quomodo  
dii sint colendi; stabiliuit potius superstitionem vulgarem eo, quod  
omnia retulit ad auctoritatem Apollinis Delphici. Quanto praestantior-  
es hac in re sunt leges Mosis, quae non nisi unum verum Deum coli-  
iubent, ac talem praescribunt cultum, qui ad conformandum animum  
omnisque iusti ac boni sensum acuendum plurimum confert! Sicut  
cultus multorum Deorum falsas notiones numinis supremi producit,  
animos hominum distrahit, ideoque maxime molestus est: ita doctrina  
de uno vero Deo notio naturae perfectissimae melius conuenit, ani-  
mumque nostrum tranquillum reddit. Si sciimus, unum esse Deum,  
supremum dominum rerum omnium, qui cuncta gubernet, non time-  
bimus alios, nobis potentiores, siue corpora sint, siue mentes. Ra-  
tio, qua Deus ex legibus Mosis colendus erat, magnam vim habuit ad  
animos Israelitarum formandos. Neque enim solum victimae offere-  
bantur, sed etiam casta mente Deum vereri debuerunt, sicut ipse casta  
mens est. Prima legum Mosaicarum internum Dei cultum complecti-  
tur, ut unus contatur Deus animo sincero. Exod. XX. 3. Secundo de-  
calogii praecepto Moses religionem externam praecepit his verbis:  
**לְאֵת שִׁבְטָה אֱלֹהִים לְשִׂוָּא** v. 7. Quid enim hoc aliud  
denotat, nisi: caue religionem violes! Qui Deo malediceret, et reli-  
gionem profanaret, morte puniendus erat. Quae poena nonnullis  
quidem paullo durior videri poterat; verum egregie hoc discussit MI-  
CHAELIS Mo. Recht. P. V. §. 245. Tertio denique publicum Dei  
cultum constituit, dum certum quandam cuiusque hebdomadis diem  
consecrat: **זְכַר אֶת־י֥ם דְּשֵׁבָת קָרְבָּן** v. 8. Leges Mosis fere semper  
Deum praelentem proponunt, nec modo deterrent a malis actioni-  
bus, ut leges Lycurgi et Solonis, sed recte agendum esse statuant amore  
et

et reverentia erga Deum. Actiones humanae maioris sunt pretii, si sponte et propter virtutem ipsam perficiuntur, quam si proficiuntur a metu poenae. Oderunt peccare mali formidine poenae, oderunt peccare boni virtutis amore. Nonne prima haec est inter leges a Mose latas: Deum dominum tuum amato? Exod. XX. 3. caue delinquas, ne ipsis displices! Lev. XVIII. 2. honora patrem et matrem, nam ego sum Deus tuus. v. 3. caue neminem laedas, neque odio habeas quemquam, ne Deum prouoces ad te puniendum v. 18. Huc quoque pertinet nonum et decimum decalogi praeceptum, quo malam quamque animi concupiscentiam coercuit Moses ac repressit. Hoc enim praecepito: ne concupisces! suos admonuit, Deum non modo actionibus, sed animis etiam adesse et imperare. Quae omnia qui rite secum perpendit, dubitare non poterit, quin Israelitarum legislator Moses Lycurgo et Soloni palmarum praeripuerit, quippe qui non modo consilium secutus sit optimum, sed cuius leges etiam perspicuitate, aequitate aliisque dotibus caeteris excellant, ita ut iure cum HERDERO<sup>7)</sup> affirmauerim, Mo- sen quodammodo rationi humanae faciem quasi praetulisse ferendis legibus, eundemque fundamenta νομοθεσίας rationi nixaie iecisse, quibus illustrissimi post eum populi leges superstruxerunt et in posterum superstructuri sunt praestantisimis.

Operae pretium esset, vt haec omnia copiosius exponerentur, quam pro instituti ratione a me fieri potuit, atque in primis ostendetur, Mosen fere semper incitamenta virtutis ex amore erga Deum desumere. Nec forte deeruat, qui meum esse putent, vt obiectiones eorum refutem, qui contendunt, mores antiquissimorum Israelitarum fuisse in- cultos, barbaros et detestandos, vt ex historia Iudicum aliquae historiae Iudaicae monumentis pateat. Sed ne lectorum patientiam defatigemus, nil

misi

<sup>7)</sup> Briefe das Studium der Theol. betreff. P. I. p. 52.



nisi hoc addere licet, verum quidem esse, narrationes quasdam in libris sacris occurrere, quae dedecori sint Israelitis, ut fratricidium Abimelechi Iud. VIII. atque incontinentiam incolarum Gibeae, qui concubinam Leuitac cuiusdam tam male tractauerant, ut moreretur c. XVIII. Sed licet cum NIEMEYERO<sup>1)</sup> contendere nolim, historiam libri Iudeum ostendere, loco religionis Mosaicae gentilem tunc suisse inductam: hoc tamen patet, viuierum fere populum detestatum esse illud facinus, idque suisse Beniaminitiae tribui adeo funestum, ut paene ad internectionem caederetur. Ceterum in hac et in aliis narrationibus, ad corruptos populi mores pertinentibus, minime negligendum illud est, Israelitas fere nunquam secutos esse omni ex parte leges Mosaicas, ac perpetuo conqueri prophetas omnium temporum, populum leges contemnere. Ief. XXXXVIII. 4. Ier. XIII. 24. sq. Ezech. VII. 8. Hof. IIII. 1. 2. Mich. VII. 2. Mal. III. 7. Quare non tam hoc spectandum est, quid efficerent leges Mosaicae, quam quid efficere potuissent, si diligenter fuissent obseruatae.

1) Characteristik der Bibel, III. Band XIII. Th. p. 465.

AVCTO-

AVCTORI CLARISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S .

*C*um Tū, incensus aemulatione laudis eius, quam multi iam e societate illa mea, cui Tū per aliquot annos adscriptus fuisti, elaborandis ac publice defendendis libellis varii argumenti sibi compararunt, ostendisses mihi nuper, velle TE, quod scribendi ac prodeundi ordo TE tetigerit, instituere Mosis cum Lycurgo et Solone comparationem, et demonstrare, quantopere leges Mosaicae, quibus emendatio animi ac vitae proposita sit, superent sanctitate et sapientia iorum duumirorum decreta: equidem facile perspiciebam, TE delegisse eum locum, cuius gravitatem ubertatemque vix capere possint academicae commentationis angustiae; nolebam tamen penitus dissuadere TIBI illud consilium, idque duabus de causis. Primo enim ipsa utilitate commendari videbatur illa quaestio, praesertim hoc tempore, quo libri veteris testamenti iacent

E 2

fere,



fere, et vehementer contemni solent vel ab iis, qui scripturae autoritatem tueri ac defendere deberent acerrime. Deinde animaduertebam, posse Te sic facile docere, quam diligenter et recte litteras eas, quae nomine ab humanitate acceperunt, atque omnino accuratam linguarum veterisque historiae scientiam coniunxeris omni tempore cum Theologia, et librorum sacrorum interpretatione. Ac demonstrasti etiam libello, quem TIBI reddo, quem Tu elaborasti solus, et in quo nihil est, quod non possit TUVUM dici, satis, ut puto, luculentiter, nonnihil profuisse TIBI exercitationes eas, quas instituere soleamus priuatim, Teque ingressum esse longam quidem illam difficultemque, sed solam et rectam viam ad eruditionem veram, et patriae aliquando fructuosam. Hac Tu via etiam in posterum strenue perge, VIR CLARISSIME, praesertim cum in ea habueris semper, habeasque ducem, studiorumque TUVORVM redorem atque testem PARENTEM TUVUM VENERANDVM, quem honoris causa nomino; me vero, et societatem eam, e qua nunc prodis, et cuius Tu adhuc fuiisti magnum ornamentum, etiam in posterum, ut facis, ama. Scr. Vitebergae d. XVI. Sept. MDCCLXXXVIII.




Wittenberg, Diss., 1786-88

ULB Halle  
004 335 899

3



f  
sl,





LEGES MOSIS MORALES PRAESTANTIORES ESSE LEGIBVS LYCVRGIT ET SOLONIS.

DISPVATATIO HISTORICO THEOLOGICA

Q V A M  
P R A E S I D E

FRANCISCO VOLKMAR  
REINHARD

THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQUE PROF. PVBL.  
ORD. AEDI ARCIS ET ACADEMIAE PRAEPOSITO CONSIST.  
ELECT. ASSESS. ET PHILOS. PROF. EXTRAORD.

AD DIEM XXIII. SEPT. A. R. S. CICLOCLXXXVIII.

EX NUMERO EORVM

QVI PRIVATIM SCRIBENDO AC DISSERENDO SE  
EXERCENT

H. L. Q. C. C.  
P V B L I C E D E F E N D E T

A V C T O R

IOANNES GOTTLÖB ERDMANN

A. A. M. ET REV. MIN. CAND.

WITTENBERGAE,

EXCVDIT ADAMVS CHRISTIANVS CHARISIVS.

